

cincto^{a)} vexillo potentie sola rebellium desperatio speratam^{b)} nostrorum averteret victoriam bellatorum? Id itaque, viri fortes, recte cessisse vobis ex hostibus et eorum senescente nequitia reddere certius in futurum^{c)} virtus vestra non dubitet, cum exinde conflictibus impares velut infirmi capitis membra sint omnino viribus inequales. Vos tamen successus vestros augete feliciter et turbate rebellium impotentiam incessanter! Videte, quam pulchrum sit dimicare pro domino, pro fide pugnare, pro conservatione imperii contra detractores nescios preliari! Nulla sit ergo cum impiis pietas, cum infidelibus fides, quia se tam enormiter nostre pietatis et fidei beneficium abdicarunt. Ferro namque curanda sunt vulnera, que sub cura mitis medici putruerunt. Ceterum de profusa retributionum imperialium provisione certos esse vos volumus, quos pro nostra et imperii iustitia conservanda cruorem proprium noverimus tam devote quam alacriter effudisse. Salvabit hec siquidem personas vestras et nutriet ac tanto salubriori munimine confortabit, quanto pro causa ferro decernitis iustiori^{d)}. Super equorum emenda^{e)}, quos amisisse vos novimus, provisionem debitam apponentes equos ipsos de araciis^{f)} nostris e vestigio vobis duximus transmittendos. Damus nihilominus Vitali de Adversa capitaneo vestro, discreto fideli nostro, nostris litteris in mandatis, ut in eorum defectu de pecunia, quam pro captivorum redemptione percipiet, vobis integre satisfacere non omittat.

VII.

Kaiser Fr(iedrich II.) teilt den (ghibellinischen) Fuorusciti von Viterbo mit, daß er nach dem kürzlich auf dem Konzil von Lyon gegen ihn geführten Prozeß des Papstes (Innocenz' IV.), von dem sie wohl schon gerüchtweise vernommen hätten, seine und des Reiches Rechte noch fester und mannhafter mehrern wolle, und verspricht ihnen reiche Belohnung für ihre Treue.

(August 1245)¹⁾.

Hs. fol. 25^b.

Fr[idericus] Dei gratia Romanorum etc. universis Viterbiensibus extra Viterbium commorantibus fidelibus suis etc.

Ruinorum processum summi pontificis dudum in Lugdunensi concilio contra nos habitum ad puritatis vestre notitiam volatili saltem fame

^{a)} accingere *Hs.* ^{b)} separatam *Hs.* ^{c)} folgt getilgt n *Hs.* ^{d)} iustiorum *Hs.* ^{e)} vgl. *D u C a n g e*, *Glossarium* 3 (1884) 255 ^{f)} vgl. *D u C a n g e* 1 (1883) 349 u. 4 (1885) 165 f.

¹⁾ Zur Datierung oben S. 181 Nr. 34.